



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

XXXII. Epistola Episcoporum Moesiæ Secvndæ Ad Leonem Imperatorem.  
Domino piißimo, victori, semper Augusto Leoni, Marcianus, Marcialis,  
Monophilus, Marcellus, Petrus & Dittas episcopi secundæ Mœsiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

quoniam sacratissimis vestris syllabis admonuistis, vt quæ sapimus de sancto Calchedonenensi Concilio, nostris literis referamus ad vestræ notitiam pietatis; cognoscat vestra serenitas, quoniam nihil amplius, nihil minus, quam quæ in Calchedonenensi Concilio a sanctis patribus integre atque perfecte definita sunt, credimus, aut consentimus. Neque enim aliud nos ultra sapere, quam ea quæ tantorum patrū termino sanctus Spiritus erudituit. Vnde mansuetissime imperator, & ego, & omnis ecclesia Dei sic sapimus, & in consensu nostro sanctorum patrum definitio-nes fide & deuota confessione firmamus. De Timotheo vero sic sapimus: quoniam secundum virtutem precum, adhuc viuo existente episcopo, impudenti intentione ab excommunicatis est ordinatus, exordinatum & excōmu-nicatum ecclesiastica regula eum esse decernit: neque manus impositionem illorum episcoporum in sancta ecclesia permittit quamdam habere virtutem, qui Christi fidem violantes, ordinationem impositam sibimet amiserunt. Nunc igitur nostra confessionis verbū facientes saluberrimi-<sup>9</sup>mis vestris auribus manifestum, depositimus Dominum nostrum Iesum Christū, vt vestrum imperium catholica fidei robore confortatum, & crucis virtute munitum, ab omni suspectione bellorum intactum semper custodire dignetur. Optamus vestram tranquillitatē diuina prouiden-tia semper in colum, & coronam imperii vestri inteme-ratam & impollutam multis annis nobis diuinitas donare dignetur, domine sacratissime & venerabilis imperator.

## XXXII.

EPISTOLA EPISCOPORVM MOESIÆ  
SECUNDÆ AD LEONEM IMPERATOREM.

*Domino piissimo, victori, semper Augusto Leoni, Marcianus, Marcialis, Monophilus, Marcellus, Petrus & Dittas episcopi secundæ Mæsiæ.*

**T**RANQVILLISSIME principum, desiderium habens pii propositi, verbum fidei quam tenes, tibi fieri mani-festum, sacris literis hoc a nostra humilitate fieri præcepi-tis, vt vobis aperte significaret de sancta & incomprehen-sibili deitate, quam humana lingua nec comprehendere,

ANNO CHRISTI 451.  
nec scribere potest, sed potius cum mundo corde colere  
debet & adorare. Hoc autem adstruimus, confiteri nos,  
& perdurare in fide quam in vrbe Nicæna trecenti decem  
& octo patres, condemnata impietate Arii, tradiderunt  
in toto orbe terrarum: nec non & quæ a sanctis centum  
quinquaginta patribus in vrbe Constantinopolitana de  
sancto Spiritu, pro delenda Macedonii persona, prolata  
est: insuper & quæ in Epheso ad depositionem impietatis  
Nestorianæ formam accepit: super hæc autem & quæ ad  
peremptionem Eutychianæ vesaniæ de humanatione Sal-  
uatoris, in Calchedonensium ciuitate multis sanctis epi-  
scopis conuenientibus per iussionem Leonis Romani  
pontificis, qui vere caput est episcoporum, & venerabi-  
lis sacerdotis & patriarchæ Anatolii, Concilio celebrato,  
sub duobus imperatoribus confirmata est. Quod Conci-  
lium nos cum' omni clero & populo Christiano vsque ad  
finem tenentes & possidentes, in eo concupiscimus per-  
manere. Timotheum vero qui postea per odium atque  
crimen, sicut publicis libellis agnoscitur, scelestissime contra  
Proterium reuerendissimum virum, Alexandrinæ ci-  
uitatis episcopum, operatus est, & condemnatis viris sibi  
met per obreptionem indigne episcopatus nomen impo-  
suit; hunc cum his qui similia præsumperunt, in ordine sa-  
cerdotum nec numerari, sed sub anathemate, & inter Si-  
moniacos reputandum esse decernimus. De Synodo ve-  
ro, quam petunt fieri quidam post decretum patrum qui  
Calchedone definierunt, nos nec optamus, nec fieri con-  
sentimus, ne maiora scandala generentur; sed magis con-  
tra principes tanti sceleris vltionem proferri decernimus.

Marcianus episcopus ciuitatis Abriticæ, confirmavi & subscripsi.  
Martialis episcopus ciuitatis Apiarense, similiter.  
Monophilus episcopus ciuitatis Dorostræ, similiter.  
Marcellus episcopus ciuitatis Nicopoleos, similiter.  
Petrus episcopus ciuitatis Nouensis, similiter.  
Ditta episcopus ciuitatis Odyssa Scythia, similiter.  
Et hæc Latine quidem data, et in Græco interpretata, & iterum  
translata de Græco in Latinum.